



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 34ra-34vb  
transcribed by Andrea Colli

Circa distinctionem 6 quaeritur utrum angeli superiores intelligant per species magis universales quam inferiores.

Videtur quod non, quia quod cognoscitur in universali, imperfectius cognoscitur quam quod cognoscitur in particulari, quia cognitio in universali est media inter potentiam et actum. Sed cognitio superiorum angelorum est perfectior quam inferiorum, ideo non est universalior, et sic non est per species magis universales.

Praeterea, ut dicitur I /34rb/ De anima: universale aut nihil est, aut posterius. Non autem dico esse posterius nisi propter abstractionem; ergo species quae non abstrahitur non est universalis, sed species in angelis non sunt abstractae, nec posteriores rebus; ergo nec magis universales.

Contrarium patet per Dionysium, XII c. Angelicae Hierarchiae, ubi dicit quod superiores angeli participant scientiam magis in universali. Hoc non est nisi per speciem; ergo in eis sunt species magis universales.

Responsio. Dicendum quod angeli superiores intelligunt per species magis universales. Quod patet sic. Sicut enim videmus in naturalibus, quod quanto aliquid plus appropinquat ad naturam alicuius primi in genere aliquo, tanto magis participat naturam eius et dignius est in illo genere, sic quanto aliquid plus appropinquat ipsi Deo, qui est simpliciter in fine simplicitatis, tanto est simplicius et proprietates operationis intelligibilis perfectius et simpliciter in se habet. Hoc autem proprium est ipsi Deo uni quod essentia sua omnia intelligat. Ergo quanto aliquis intellectus sibi magis appropinquat, tamquam in natura superior, tanto per pauciora et intimius potest cognoscere plura; et quanto aliquis intellectus plus distat ab eo, tanto per plura cognitionem rerum acquirit. Et illud rationabile est. Videmus enim, quod quanto aliquis est melioris ingenii, tanto per universaliora principia et minus explicata potest capere veritatem, quod alius non posset, nisi sibi principia illa explicarentur. Et ideo oportet dicere quod intellectus superioris angeli per pauciora et universaliora intelligat quam intellectus inferioris angeli.

Modo contra hoc arguitur multipliciter. Primo sic. Si ita est quod superior angelus per pauciores et universaliores species intelligit, cum novem sint ordines angelorum et in quolibet sint medii, primi et ultimi, secundum Dionysium, plures essent gradus angelorum quam formarum existentium in praedicamento descendendo a generalissimo ad specialissima et individua eorum, sequitur ergo quod superior intelligeret per formam generis generalissimi omnia contenta in genere substantiae». Ergo si crearetur adhuc superior, quod est possibile, «non intelligeret per formam aliquam, quod est impossibile, vel si per unam, tunc non est verum, quod superior intelligat per universaliores et pauciores.

Secundo sic. Per aliquid non intelliguntur aliqua, nisi sint similia isti, per quae intelliguntur, sed quae sunt alicui similia, inter se sunt similia. Ergo omnia illa quae per unam speciem cognoscuntur ab angelo, erunt inter se similia, utpote homo et asinus, quod falsum est.

Tertio sic. Impossibile est quod aliquis intelligat multa, ut multa simul, quia contingit tantum intelligere unum, licet scire possumus multa III Topicorum. Sed secundum hoc superior angelus cognoscet multa ut multa, quia illa species est propria ratio singulorum; ergo ista positio inconueniens est.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 34ra-34vb  
transcribed by Andrea Colli

Quarto sic. Quia ex hoc sequitur quod diversarum rerum sit eadem diffinitio, quia intellectus de re format conceptum, quo res diffinitur. Si igitur eadem species sit in angelo superiori in diversis rebus in specie formabit eundem conceptum et eadem diffinitionem.

Ad primum dicendum quod isti falsum dicunt in maiori, quia omnes gradus angelorum reducuntur ad unum genus subalternum, scilicet ad substantiam incorpoream et praeter hoc sunt multi gradus formarum existentium in aliis generibus et speciebus subalternis et specialissimis.

Item ipsi supponunt, quod quanto angelus est superior, semper intelligat per pauciores numero, non oportet, sed quod simplicius per istas intelligat.

Item, dato quod supremus per unam speciem intelligat, tamen superior, qui crearetur, per suam substantiam non intelligeret, et tamen per pauciores intelligeret quam inferior, quia hoc facto ille, qui prius per unam speciem intelligebat, creato superiori intelligeret eum per aliam speciem. Et sic si mille crearentur.

Ad secundum dicendum, quod proposito intelligitur, quando sunt aliqua in aliquo eadem non excedenti, ut sensus particulares in sensu communi. Non tamen sunt inter se eadem, quia sensus communis sensus proprios excedit.

Ad tertium dicendum quod multa ut multa potest aliquis dupliciter intelligere: uno modo obiective et sic possunt cogniti simul per unum excedens. Alio modo ratione medii et sic multa ut multa non possunt informare unum intellectum. Exemplum primi est de intellectu divino, qui uno, quod est essentia sua, intelligit omnia.

Ad quartum dico quod illa species non haberet rationem diffinitionis, quia diffinitio dicitur per comparisonem ad diffinitum. Res autem obicitur illi speciei sicut diversae, et ideo diffinitio secundum species dicitur per comparisonem ad intellectum quod informat.

Ad primum argumentum dicendum quod cognitio in universali ex parte obiecti est media inter actum et potentiam, non autem ex parte subiecti informati.

Ad secundum dicendum quod verum est quod universale, secundum Aristotelem, est per abstractionem. Non autem universale quod fluit ab ideis divinis, quod assimilatur magis universali Platonis.

/34va/ Iuxta hoc quaeritur sine argumentis utrum primo angelo cadente et sociis eius debuit assignari locus.

Dicendum quod ista quaestio unum quaerit et duo supponit, scilicet quod supremus angelus fuerit Lucifer et quod ipse fuit aliis occasio peccandi. Ideo istis duobus visis apparebit, qualiter eis debuit locus assignari.

Circa primum sciendum quod de hoc fuerunt diversae opiniones sanctorum. Quidam enim, ut Damascenus et sui sequaces, dixerunt quod maior illorum qui ceciderunt fuit maior qui ordini terrestri preferabatur, in cuius ordinem et aliqui boni manserunt. Alii autem, ut Gregorius et sui sequaces, dicunt quod supremus inter eos qui ceciderunt fuit superior angelus inter omnes. Ad concordandum ergo opiniones, considerandum quod in peccato est duo considerare, scilicet pronitatem ad peccandum; et motivum ad peccandum. Si consideremus pronitatem ad peccandum quanto angelus est



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 34ra-34vb  
transcribed by Andrea Colli

superior et dignior tanto minus inclinatur ad peccandum et ad Deum magis inclinatur; et secundum hoc opinio Damasceni potest habere veritatem». Si autem consideremus motivum quod fuit propria excellentia, cum peccatum eorum fuerit superbia, maius motivum habuerunt angeli superiores quam inferiores. Et quantum ad hoc opinio Gregorii verificatur. Quia igitur angeli ex pronitate non peccaverunt, sed magis ex libero arbitrio. Ratio peccati eorum magis consideranda est ex motivo ad peccandum. Et illud magis probabiliter dicitur quod primus inter peccantes fuerit superior angelus inter omnes. Sic patet primum.

Quantum ad secundum sciendum quod peccatum primi angeli fuit aliis causa peccandi, non cogens, sed quasi quadam exhortatione inducens. Cuius signum est, quod omnes alii daemones illi supremo subduntur; ut dicebat Christus: *Ite, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est Dyabolo et Angelis eius. Habet enim hoc ordo iustitiae, ut cuius suggestioni aliquis consentit in culpam, eius dominio subdatur in poena. Sed quomodo potuit esse occasio peccandi, quia statim, cum peccavit, cecidit, et isto cadente alii non cecidissent, nisi simul peccassent? Ideo advertendum quod angelus non indiget motu temporis ad eligendum vel exhortandum vel consentiendum; sicut homo, qui deliberatione indiget ad eligendum vel consentiendum, et locutione vocali ad exhortandum, quorum utrumque tempore agitur. Modo videmus dum homo aliquid simul corde concipit, quod in eodem instanti incipit loqui. Et ultimo instanti locutionis, in quo quis sensum loquentis capit, potest assentire ei quod dicitur, quod patet maxime in primis conceptionibus, quas quis statim approbat auditas; etiam sublato tempore locutionis et deliberationis quod in nobis requiritur; sed in eodem instanti in quo primus angelus suam affectionem intelligibili locutione expressit, possibile fuit ab aliis angelis in eam consentire. Sic patet secundum.*

Ad tertium, quod est principale, sciendum cum divina providentia hoc habeat quod «bonum inferiorum per superiora procuretur et ipsi angeli sint medii inter Deum et homines, bonum commune per angelos procuratur. Bonum autem hominis dupliciter procuratur. Uno modo directe, in quantum ducitur ad bonum et retrahitur a malo, et istud habet fieri per bonos angelos. Alio modo indirecte, dum aliquis per impugnationem contrarii et resistantiam retrahitur a malo et promovetur ad bonum. Et hanc procuracionem habet facere angeli mali dati hominibus ad exercitium. Sic ergo daemonibus duplex locus poenalis debetur. Unus quidem ratione suae culpae, et hic est infernus. Alius ratione exercitationis nostrae, et sic debetur eis aer caliginosus; et quia illa exercitatio solum datur usque ad diem iudicii, ideo statim post finale iudicium omnes boni angeli et homines boni erunt in caelo et omnes mali angeli et homines mali in inferno.

Tertio quaeritur utrum in daemonibus sit ordo praelationis.

Dicendum quod ordinem praelationis contingit esse in daemonibus ratione naturae eorum et divinae iustitiae et proprie nequitiae. Quia cum ex natura suam quidam sint aliis superiores et peccatum non tollat naturam, sequitur etiam quod post peccatum quidam aliquis remanent superiores.

Item ad divinam sapientiam pertinet ut quae ab ea sunt, ordinata sint a quo est omnis potestas, ut dicitur ad Romanos; et ideo quia potestas daemonis ad homines exercendum a Deo est, decet ut etiam ordinata sit secundum gradum praelationis.



GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 34ra-34vb  
transcribed by Andrea Colli

Item tertio quia ex propria nequitia omnes hominibus adversantur, ex hoc autem sunt aliqui inter se confederati et quasi ad invicem ordinati, quod concorditer aliis volunt nocere. Ideo quia omnes ad nocumentum nostrum tendunt. Ideo ex hoc sequitur ordo inter eos.

/34vb/ Utrum angeli post unum actum meriti sint consecuti beatitudinem.

Dicendum quod ista quaestio supponit angelos meruisse beatitudinem suam. Ideo sunt tria videnda. Primum est quod angeli beatitudinem suam meruerunt. Secundo ostenditur quod statim post primum actum meriti consecuti sint beatitudinem. Tertio ponentur quaedam obiectiones contra hoc.

Circa primum sciendum quod cum obiectum beatitudinis sit finis ultimus et ad finem tendant omnes res per suam operationem, oportet quod ad beatitudinem homo perveniat per suam operationem. Modo ita est quod quandoque operatio factiva est ipsius finis, quandoque non factiva. Factiva quidem, quando finis non est excedens operationem creaturae. Si autem finis sit excedens operationem creaturae et virtutem ipsius operantis, tunc operatio est meritoria finis non factiva, quasi ab alio exspectatus. Cum igitur beatitudo rationalis et intellectualis creaturae sit rationaliter excedens facultatem naturae creaturae, oportet quod per suam operationem tanquam per meritum ad eam perveniat; et sic oportet quod eam per opus proprium praecedens mereatur; sic patet primum.

Circa secundum sciendum quod post primum actum caritatis quo meruit beatitudinem, statim beatus fuit. Cuius ratio est, quia gratia perficit naturam secundum modum naturae sicut et omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum eius. Est autem proprium naturae angelicae, quod naturalem perfectionem per discursum non acquirat, sed statim per naturam habeat. Sicut igitur angelus ex natura sua habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam. Sed hoc est proprium naturae angelicae quod statim sine discursu suam perfectionem naturalem acquirat; et ideo etiam statim quantum ad gloriam post unum et primum actum meriti beatitudo in angelo consecuta fuit; et ideo, si fuerunt aliqui angeli creati in gratia, in eodem instanti meruerunt beatitudinem et in secundo instanti statim sunt eam assecuti.

Modo contra istud arguunt aliqui. Primo quia hoc dicitur quod in primo instanti meruerunt beatitudinem, quia sicut se habet demeritum ad miseriam, sic meritum ad gloriam; sed in eodem instanti non fuit meritum et gloriam in beatis; ergo nec in eodem fuit demeritum et miseria in malis. Si ergo boni in secundo instanti fuerunt beati, eadem ratione et mali, cum ita meruerunt sicut boni in primo instanti; ideo etc.

Praeterea, qua ratione unus meruit et omnes, quia sunt in gratia creati. Si unus fuit ergo diabolus, meruisset beatitudinem, sed voluntas angeli cuiuscumque inflexibilis est et totaliter adhaeret cui adhaeret; ergo daemon esset vel fuisset beatus, quod falsum est.

Praeterea, si in primo instanti omnes meruerunt et unus actus sufficit ad meritum beatitudinis, ergo in secundo instanti omnes fuissent beati vel oportet dicere quod Deus sit acceptor personarum.

Praeterea, cum unus actus meritorius sufficiat ad merendum beatitudinem, certum est quod solum in primo instanti in quo fuerunt creati et in quo meruerunt, fuissent tantum in statu viae; in secundo in statu patriae, ubi peccatum esse non potest, quod falsum est.



University of Cologne  
Department of Philosophy  
Thomas Institute



*This project has received funding from the European Union's Horizon 2020 research and innovation programme under the Marie Skłodowska-Curie grant agreement No 657033*

GUILLELMUS PETRI DE GODINO, *Lectura Thomasina*, dist. VI, Graz, Universitätsbibliothek, ms. 475, ff. 34ra-34vb  
transcribed by Andrea Colli

Ideo dixerunt alii quod ibi sunt tria instantia, quia in primo instanti meruerit, sed imperfecte; in secundo instanti perfectum est meritum vel demeritum; in tertio fuerunt beati vel miseri; quae positio probabilis esset, nisi unus actus sufficeret angelo ad merendum, ut visum est, quia omnis actus gratia informatus sufficit ad beatitudinem merendam. Ideo dicendum est ad primum quod non est simile, quia ut simul sit cum ea, quia unum est gratiae imperfectae, aliud gratiae consummatae, non autem sit demeritum respectu miseriae, quia etiam modo bene demerentur, quamvis sint in termino.

Ad secundum dicendum quod, licet immobiliter adhaeserit respectu suorum naturalium quae dilexit respectu quorum habet immobilitatem, non tamen respectu gratiae quae potest ei mobiliter adhaerere existenti adhuc in via.

Ad tertium dicendum quod, si perstitissent, omnes habuissent beatitudinem, illi autem qui ceciderunt in secundo instanti mortificaverunt suum meritum per culpam quae naturaliter terminum processit.

Ad quartum patet, quamvis tantum primum instans pertineat ad statum viae, quia tamen operatio secundum rationem praecedat ipsum obiectum; ideo mortificatio meriti potuit esse in secundo instanti; ideo Deus, qui debebat praemiare meritum, dedit miseriam propter demeritum.

TEACHPROL